I. N. I.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ

ΔΙΑΤΑΧ

SIVE DE

CONSTITUT

APOSTOL

DISSERTATIONEM

PRIORE

Suffragio Amplissimi Sen

in celeberrima Ac

LIPSIEN

SUB PRAESID

VIRI PRÆCLA

DOMIN

M. CAROLI F

PEZOL

Pirnensis,

Fautoris sui ætat

ad diem 21. Decem

Publicæ, sed placidæ Συμφιλολ

proponit

JOHANNES SAMUEL

Wratisl. Siles. S. S. Theol

A. & R



LIPSIÆ, Literis Bra

I. N. I.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ

...ΑΧΕΩΣ,

...IVE DE

...UTIONIBUS

...TOLICIS,

...NEM HISTORICAM

...OREM,

...mi Senatus Philoſophici

...rima ACADEMIA

...ENSIUM

PRAESIDIO

...ÆCLARISSIMI

...OMINI

...I FRIEDERICI

...OLDI,

...rnenſis,

...ætatem colendi,

...Decembr. 1698.

...Συμφιλολογȣ́ντων disquiſitioni


...roponit

...MUEL WEIDNERUS,

...S. Theol. & Philoſ. Stud.

& R.

...ris Brandenburgerianis.



CAPUT I.

DE INVENTORE, EDITIONIBUS VARIIS, COMMENTATORIBUS, ET CODICE MANUSCRIPTO.

§. I.

ITTIGIUS Theologus, Vir laude noſtra major, in ſolidiſſima prorſus de *Pſeudepigraphis* CHRISTI, MARIÆ & APOSTOLORUM *diſſertatione Cap. XII.* §. 1. *ſeqv.* & inventoris, & variarum editionum Conſtitutionum Apoſtolicarum mentionem facit. Conjungit verò inventorem, inventorisque editam inventi epitomen, dum Conſtitutionum Apoſtolicarum, in Inſula Creta à CAROLO CAPELLIO inventarum epitomen ipſum inventorem Ingolſtadii A. C. 1546. in lucem publicam emiſiſſe, perhibet. Inventoris tamen nomine allato, nemini in mentem veniat quæſumus, acſi eadem voce autorem, cui forſan hæ Conſtitutiones aliàs aſſignari conſveverunt, vel Collectorem innuiſſemus; ſed eum eâ ſignificavimus, qui neglectas hactenus & obeſas, oblivionive penè traditas Conſtitutiones Apoſtolicas eruit, atque in lucem protrahendo ex orco veluti revocavit, eruditorumque oculis ſtitit.

§. II.

Inventis igitur his Constitutionibus, variæ earum editiones adornatæ sunt. Hac enim in re Bovii & Turriani, ac Surii, Nicolinive, Binii atque Ducæi, Labbei & tandem Cotelerii opera laudatur. Sed neque Clerici in dustria sicco, quod dicitur, pede prætereunda est.

§. III.

Et *JOHANNEM CAROLUM BOVIUM* quod attinet, Episcopum Ostunensem, Venetiis A. C. 1563. ex Jordani Zileti officina integrum Constitutionum Apostolicarum opus latinè à se redditum, prolixo præfamine laudatum, notisque suis explanatum prodire is jussit: Et quidem cum Privilegio Summi Pontificis, deinde tandem etiam Cæsareæ Majestatis, & Illustrissimi Senatus Veneti.

§. IV.

Sed quemadmodum Venetiis anno superioris seculi 63. ex officina Jordani Zileti Bovianæ Constitutiones prodierunt; ita in eadem urbe Veneta, eodem anno, & ex eadem officina, *FRANCISCUS TURRIANUS* Apostolicas Constitutiones græcè edidit, suaq; prolegomena & scholia itidem græcè scripta addidit. Neque minus idem Turrianus has constitutiones nova versione latina donavit, quam cum prolixa præfatione & scholiis & explanationibus apologeticis Antverpiæ A. C. 1578. Plantinianis typis impressam publici juris fecit.

§. V.

LAURENTIO quidem *SURIO* Bovianam Constitutionum editionem, etiam inter Clementis Romani opera, Parisiis A. C. 1568. edita, vulgatam, suæ Concilio-

rum

rum Collectioni Coloniensibus typis 1567. publicatæ inserere placuit. Prostant hæc Concilia Tomis IV.

§. VI.

Eædem Constitutiones ex Versione Francisci Turriani cum ejusdem præfatione & notis in proximè sequenti Conciliorum Collectione, quam 1585. ex officina sua *Dominicus Nicolinus*, Tomis V. Venetiis emisit, exhibentur.

§. VII.

Pariter easdem Constitutiones ex Turriani Interpretatione *Severinus Binius* in priore sua Conciliorum Collectione, quæ Coloniæ A. C. 1606. lucem publicam adspexit, iterum dedit, etsi sola versione contentus, prolegomena, cæterumque Turriani apparatum omiserit.

§. VIII.

Quamvis autem in altera sua Conciliorum Collectione, quæ 1618. prodiit, ipsas Constitutiones Apostolicas Binius planè neglexerit: defectum tamen hunc eodem anno 1618. *Fronto Ducæus* compensavit, cùm Zonaræ in Canones Apostolorum & Conciliorum Scholia Parisiis edidit, & simul Constitutiones Apostolicas græcè cum latina Turriani interpretatione ex editione græca Veneta, & latina Antverpiensi iterum expressit. Fuit hic Ducæus, Judice Caveo, (a) Jesuitarum in eruendis Ecclesiæ græcæ monumentis doctissimus.

§. IX.

Quem imitatus *Labbeus* est, in Conciliis suis itidem græcum Constitutionum Apostolicarum textum

 cum

(a) *Gvil. Cave Historia Literaria, Sec. Apost. p. 14.*

cum latina Turriani versione conjungens. Prostat *Philip. Labbei & Gabr. Cossartii* Collectio Conciliorum Lutet. Paris. 1672. sqqvv. Tomis quindecim.

§. X.

Novissima Constitutionum Apostolicarum editio est, quam inter opera Patrum Apostolicis temporibus florentium, à *JOHANNE BAPTISTA COTELERIO* edita, invenire licet. Quæ Coteleriana Patrum Apostolicorum Collectio hactenus rarissima, quippe exemplarium copia per incendium Parisiis absumpta, nunc iterum in Belgio cum doctissimi *JOHANNIS CLERICI*, aliorumq; accessionibus prodiit, Antverp. 1698. Volumina extant duo. Atque hæc Constitutionum editio est, *cujus paginas in nostris Dissertationibus citare allubuit.*

§. XI.

Missis Constitutionum Apostolicarum editionibus, codicem Manuscriptum commemorabimus, quem *VINDOBONENSIS BIBLIOTHECA* adservat, quemque *PETRUS LAMBECIUS*, Consiliarius, Historiographus, & Bibliothecarius quondam Viennensis, ob venerandam antiquitatem suam dignissimum judicat, ut cum eo impressæ editiones à capite ad calcem conferantur. Vide de hoc Codice MSS. *LAMBECIUM*, Comment. de Biblioth. Cæs. Vindobon. lib. VIII. p. m. 453. 454. 455.

CAPUT II.

IN AUTOREM CONSTITUTIONUM APOSTOLICARUM INQUIRENS, AN IS CLEMENS ROMANUS SIT?

§. I.

SI ipsius Constitutionum Apostolicarum Autoris judicio standum est, quando lib. VI. in falsarios & impostores,

qui

qui Cerebri ſui figmenta Apoſtolis ſuppoſuerunt, invehitur, (a) eosque non ex nominibus, quæ mala fraude ſuis operibus præfigunt, ſed ex rebus, & ex rectis indeflexisque ſententiis dignoſcendos judicat: Profectò Autoris ſemetipſum ſuo ipſius judicio damnavit. Quandoquidem ſi res & ſententias libris octo Conſtitutionum Apoſtolicarum comprehenſas conſideramus, claré patet, à peſſimo quodam impoſtore octo illos libros Apoſtolis tanquam autoribus, & *CLEMENTI ROMANO* tanquam Collectori, ſuppoſitos fuiſſe. Inde etiam eſt, cur Celeberrimus noſter *RECHENBERGIUS* (b) ſcriptorum ævi primi Eccleſiaſticorum ſcripta vel dubiæ fidei, vel planè ſubleſtæ eſſe affirmet, & ad poſterius hoc ſuppoſititiorum genus Conſtituitonum Apoſtol. Libos VIII. referat.

§. II.

Atque huic etiam *CLEMENTI*, Viro Apoſtolico, vel Apoſtolorum æquali, Conſtitutiones Apoſtolicæ à *RICHARDO MONTACUTIO*, doctiſſimo inter Reformatos Viro, attribuuntur. (c) Inde hac verborum pompa ſanctum Conſtitutionum harum autorem defendit, quando *unum*, inquit, *ex antiquiſſimis & illum, qui erat Apoſtolorum* συμφοιτητὴς & συμπερ́γκτωρ, facile principem & primariæ autoritatis non præteribo, Clementem nimirum τὸν Διαταγέα.

§. III.

Sed quemadmodum Conſtitutiones Apoſtolicas Clemens Romanus, tanquam nomine ſuo indignas adſpernatur, uti id infra claré patebit: ita apparet,

(a) *Lib. VI. c. XVI. p. 344.*
(b) Rechenb. *Hiſt. Eccleſ. Sect. 2. c. 1. §. 11. p. m. 28. ſqv.*
(c) *Montac. apparatu II. ad origines Eccleſiaſticas p. 394.*

paret, judicia quorundam de Constitutionibus his Pontificiorum non ritè sese habere: quodsi v. gr. STAPLETONUS nullam rationem obstare putat, (d) quin si praesens Ecclesia Constitutiones à Clemente editas, in Scripturae sacrae Canonem referret, eas aeque ut Epistolam Jacobi pro Canonico sacri codicis scripto haberi oporteret.

§. IV.

Sed quid strenuus hic Pontificiae Religionis Defensor Clementem editorem nominat? Si enim hoc cum Veritate consentit, supinae negligentiae, imò impietatis accusandi sunt Romani Pontifices, qui in perpetua tot annorum successione thesaurum huncce apostolicum non custodiverunt. Quandoquidem [ex Cap. I. §. 2. constat, quod Carolus Capellius, Venetus, circa medium ferè seculi superioris eas denuò invenerit], orbique Christiano communicaverit.

§. V.

Itaque si Clementis Romani nomine Constitutiones hae indignae sunt, nae Apostolorum autoritate indignissimae existent. Minus adhuc absurde Constitutionum Apostolicarum Collector CLEMENS ALEXANDRINUS statui posset, quam Clemens Romanus. Sicuti huic etiam sententiae GUILIELMUS BEVEREGIUS in notis ad Canon. Apostol. adstipulatur. Cum enim hae Constitutiones nihil minus, quam genium Apostolorum prodant, uti id nos caput subsequens edocebit; quare ad sequiora tempora, & non ad apostolica, rectius possent referri. Jam verò Clemens Alexandrinus Irenaeum proximè sequutus fuit, & anno Christi centesimo nonagesi-

(d) *Stapl. Princ. Fid. doctrin. contr. 5. q. 2. artic. 3.*

nonagesimo sexto claruit, uti *Abrah. Scultetus* in Medulla Theologiæ Patrum, Ambergæ 1598. edita, testatur. p. m. 123. Conf. Excellentiss. Dn. *L. Rechenbergii* Hist. Eccles. Sect. 2. §. 12. p. m. 51.

§. VI.

Utrique autores, & Canonum Apostolicorum, & Constitutionum Apostolicarum gravissimam pœnam meruerunt; ille secundum proprios, hic secundum alienos canones. Siquidem in Canone LX. Canonum Apostol. eos, qui libros Pseudepigraphos tanquam sanctos in Ecclesia publicaverint, exauctorari debere præcipitur.

§. VII.

Quod verò Clemens Romanus Constitutionum harum autor nequicquam sit, apertissimè patet, quia *Eusebius*, seculi quarti scriptor, de Clementis scriptis ex instituto agens, nihil planè edisserit. Contentus igitur erit Clemens noster, si Epistolam, quam Ecclesiæ Romanæ nomine ad Corinthios scripsit, olim in Ecclesiis publicè prælectam, ipsi relinquamus. Enimverò Eusebius non nisi hujus Epistolæ mentionem facit. (f) Sed cur Διαταγῶν, aut διδαχῆς non meminit? Certè quia nullas noverat. Namque si quæ tum extitissent ejus nomine vel Constitutiones, vel etiam doctrinæ Apostolorum, eas haud dubiè non omisisset. Ita vero τούτου δὴ, inquit, οὖν ὁμολογουμένη μία ἐπιστολὴ φέρεται, μεγάλη τε καὶ θαυμασία, ἣν ὡς ἀπὸ τῆς Ῥωμαίων Ἐκκλησίας τῇ Κορινθίων ἐτυπώσατο, στάσεως τηνικάδε κατὰ Κόρινθον γενομένης. Ταύτην δὲ καὶ ἐν πλείσταις ἐκκλησίαις ἐπὶ τοῦ κοινοῦ δεδημοσιευμένην πάλαι τε καὶ καθ' ἡμᾶς αὐτοὺς ἔγνωμεν. *Hujus verò Clementis una fertur Episto-*

la,

(f) *Hist. Eccles. Lib. III. c. 15. 16. edit. græcæ, latinæ c. 12.*

la, omnium judicio approbata, illustris illa quidem & digna planè admiratione; quam tanquam ex Ecclesia Romana persona ad Corinthiorum Ecclesiam tum quidem exaravit, cum jam Corintho gravis esset inserta seditio. Hanc sane cum veterum, tum nostra ipsorum memoria, plurimis in Ecclesiis publicè lectam, usurpatamq́ cognovimus. Obsecro fidem tuam, benevole Lector, illas Apostolorum dictas doctrinas, si eæ Clementis nomen, seu verè seu falsò præferebant, cur hoc loco eas omisit Eusebius, in quo de Clementis Romani operibus velut ex professo agit. Certe, non omisisset si scivisset, scivisset autem si Clemens autor fuisset.

§. VIII.

Accedit, quod vero non videatur simile, Clementem Episcopum Romanum, non Romanis, sed græcis literis mysteria Apostolica mandasse. Uti enim cuilibet fideli Pastori proprius grex charissimus est; ita non dubitandum, quin Apostolicus hic Clemens non alius magis populi, quàm Romanorum salutem promovere studuerit, adeoque non græcè, sed latinè omnia memoriæ prodiderit.

§. IX.

Atque illud quidem, quod hic Clementi Romano adscribitur, Διάταξις vocatur: Quadoquidem Paulus 1. Corinth. XI. v. 34. dicat: cætera cum venero διατάξομαι disponam, *constituam*. Væ tamen miseræ huic consequentiæ: Paulus disponere quædam voluit; ergò in his Constitutionibus hæ dispositiones extant. Cæterum à Patribus hi Constitutionum libri variè appellantur: sic enim Athanasius doctrinam Apostolorum nominat; Chrysostomus & Johannes Damascenus Canones; Oecumenius diatyposin, h. e. informationem

&

& institutionem ; quæ tamen voces in inscriptione idem valere solent. Communius verò & frequentius est, ut diataxes inscribantur. Quâ voce non Ignatius modo, cum de iis ageret, sed & ipse Paulus usus est, quando hujusmodi ecclesiasticæ oeconomiæ leges præscribit. Vide Bovium in Præf. ad Constit. Apost. p. m. 15.

CAPUT III.

AUTORES CONSTITUTIONUM APOSTOLICARUM AUTORITATEM REJICIENTES, EORUMQUE RATIONES SISTENS.

§. I.

OPeræ pretium existimamus, ut nonnulla de autoribus, qui Constitutionum harum autoritatem meritò destruunt, disseramus, ac quibus id rationibus commodè fieri possit, recenseamus.

§. II.

Sicuti verò nemo facilè docebit, quæ tandem illa τὰ κλοπιμαίως ἐμβεβλημένα sint: ita non facile quis consentire cum *Aristino* potest: (a) utpote qui decretum Can. II. Concilii Constantinop. in Trullo, ita effert: τὰ παρὰ τῶν ἑτεροδόξων κλοπιμαίως ἐμβεβλημένα ταῖς διὰ Κλήμεντος τῶν Ἀποστόλων Διατάξεσιν ἀποκήρυκτα. *Quæ Apostolorum Constitutionibus, Clementis opera editis, furtim ab Hæreticis inserta sunt, repudianda.*

§. III.

Rectius *ZONARAS* & *BALSAMON*. Is enim: (b) πολλὰ γὰρ βιβλία, ait, παρὰ τῶν ἀσεβῶν ἐνοθεύθησαν εἰς βλάβην τῶν ἁπλου-

(a) *Aristinus in Synopsi Canonum Concilii Constantinopol. Can. VII.*
(b) *Zonaras ad Canon. LXXX. Apost. p. 35.*

ἀπλουστέρων· ὥσπερ καὶ οἱ διὰ τοῦ ἁγίου Κλήμεντος γραφεῖσαι τοῖς ἐπισκόποις ἀποστολικαὶ διαταγαί, ἃς διὰ τοῦτο καὶ συνοδικῶς ἀπεβλήθησαν. Ab impiis & ſceleſtis hominibus ſuppoſiti libri multi fuerunt in perniciem ſimpliciorum: quemadmodum etiam Epiſcopis per ſanctum Clementem ſcriptæ apoſtolicæ Conſtitutiones, quæ propterea etiam Synodicè rejectæ ſunt. Idem quoque: διάφορα, inquit, (c) νόθα συγγράμματα καὶ ψευδεπίγραφα ἦσαν, ἢ καὶ εἰσί. Τὰ δὲ καὶ νενοθευμένα, οἷα καὶ αἱ διὰ τοῦ Κλήμεντος ἐκπεφωνημέναι διαταγαί· Καὶ αὗται γὰρ παρὰ κακοδόξων τινῶν ἐνοθεύθησάν τε καὶ παρεφθάρησαν. Διὸ καὶ ἀναγινώσκεσθαι ὅλως αὐτὰς ἀπηγόρευσεν ἡ οἰκουμενικὴ ἕκτη Σύνοδος ἐν κεφαλαίῳ δευτέρῳ τῶν παρ' αὐτῆς τεθέντων κανόνων. *Varia adulterina & falsè inſcripta erant, & adhuc ſunt ſcripta; alia verò etiam corrupta, cujusmodi etiam ſunt per Clementem promulgatæ Conſtitutiones: nam etiam illæ ab Hæreticis quibusdam adulteratæ & corruptæ ſunt*; *propterea earum lectionem prorſus interdixit ſexta Synodus Univerſalis, Capite ſecundo Canonum ab ipſa poſitorum.*

§. IV.

THEODORUM BALSAMONEM ita differentem animadvertimus: (d) Σὺ δὲ γίνωσκε, ὡς εἰ καὶ γέγραπται ἐνταυθοῖ ἀναγινώσκειν ἡμᾶς τὰς διαταγὰς τοῦ Κλήμεντος, πλὴν μὴ δημοσιεύειν αὐτάς, ἀλλ' ὁ δεύτερος κανὼν τῆς ἕκτης Συνόδου ἀπηγόρευσε τὴν τούτων ἀνάγνωσιν, διὰ τὸ γενέσθαι παρὰ ποίησιν ἐν αὐταῖς. *Tu verò ſcias, etſi hic ſcriptum ſit, nos legere Conſtitutiones Clementis, eas tamen non divulgare, ſecundus Canon ſynodi ſextæ earum lectionem prohibuit, propterea quod corruptæ ſint.*

§. V.

Non tamen duntaxat his rivulis contenti erimus,
ſed

(c) *Zon. ad Can. Apoſt. LXXXV. p.* 43.
(d) *Balſam. ad Can. Apoſt. LXXXV. p.* 271.

ſed fontem etiam ipſum in has paginas derivabimus. Nam *CANON II.* Concilii Conſtantinopolitani in Trullo ita ſeſe habet : quoniam his ipſis (videlicet Apoſtolorum) Canonibus mandatum eſt, ut recipiamus eorundem ſanctorum Apoſtolorum per Clementem Conſtitutiones, quibus jam pridem ab Heterodoxis, non ſine Eccleſiæ pernicie, quædam adulterina & Eccleſiæ peregrina inſerta ſunt, quæ decentem pulchritudinem divinorum dogmatum nobis obfuſcant : hujusmodi ergò Conſtitutiones convenienter abjecimus, ad chriſtianiſſimi gregis ædificationem & ſecuritatem minimè inſerentes hæreticæ falſiloquentiæ fœtum, & genuinæ atque ſinceræ Apoſtolorum doctrinæ immiſcentes : Ἐπειδὴ ἐν τούτοις τοῖς κανόσιν ἐντέταλται δέχεσθαι ἡμᾶς, τὰς τῶν ἁγίων ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος διατάξεις, αἷς τισι πάλαι ὑπὸ τῶν ἑτεροδόξων, ἐπὶ ἐκκλησίας παρενετέθησαν, τὸ εὐπρεπὲς κάλλος τῶν θείων δογμάτων ἡμῖν ἀμαυρώσαντα, τὴν τῶν τοιούτων διατάξεων προσφόρως ἀποβολὴν πεποιήμεθα, πρὸς τὴν τοῦ χριστιανικωτάτου ποιμνίου οἰκοδομὴν καὶ ἀσφάλειαν, οὐδαμῶς ἐγκρίνοντες τὰ τῆς αἱρετικῆς ψευδολογίας κυήματα, καὶ τῇ γνησίᾳ, τῶν ἀποστόλων καὶ ὁλοκλήρῳ διδαχῇ παρενείροντες.

§. VI.

Baronii quin eadem fuerit de his Conſtitutionibus ſententia dubitandum non videtur. Cum enim quædam ex iisdem ſibi ipſi de Mariæ Magdalenæ à Maria Lazari ſorore diverſitate objeciſſet, uno verbo ſe his liberari poſſe exiſtimat, ſi apocryphum eſſe librum excipiat. (e) Ex cujus quoque verbis, l. c. poſitis, clarum, quod Veteribus ignotus fuerit Conſtitutionum liber, conficiens falſum, & ab homine Clementis ævo recentiore confictum.

VII. De

(e) *Baron. Tom. I. Annal. an. Dom. 32. §. 18.*

§. VII.

De *DIONYSIO* quoque *PETAVIO* constat, quô nemo in ea, quam falsò vocant, JESU Societate, eruditionis & doctrinæ nominis clarior vixisse dicitur, eum tantum ab eo absuisse, ut eas, quas nunc habemus Constitutiones, verè Apostolorum vel Clementis esse putaverit, ut illas potius dubias ac incertas, controversæque fidei judicaverit. Hinc asserit: (f) quod nugetur Pseudodiataxis Clementis, & *γραώδη*, *anilia*, proferat.

§. VIII.

Quæ Clementis nomine Apostolicæ Constitutiones circumferuntur, non sunt ejus fidei, ut in rebus ad religionem pertinentibus autoritatem habeant decisivam. Sive enim jam ab initio Clementis nomine suppositus, sive ab Hæreticis postea interpolatus, atq; adulteratus fuerit hic liber, constat, suspectam esse ejus autoritatem. Ita *JACOBUS DAVIUS PERRONIUS CARDINALIS*, (g) cujus nomine nullum ferè est apud adversarios illustrius, de Sancto scilicet Constitutionum harum Valore differit.

§. IX.

Præterea possem ad Cardinalem *BELLARMINUM*; (h) possem ad Gabriel. *ALBASPINEUM*, Aurelianensem Episcopum; (i) possem ad Christianum *LUPUM*; (k) possem ad *NATALEM ALEXANDRUM*; (l) possem ad alios progredi, horum-

(f) *Petavius ad exposit. fid. p. 349.*
(g) *Perronius Replic. lib. I. c. 24.*
(h) *Bellarmin. lib de Scriptor. Eccles. Sec. I. in Clemente p. 53.*
(i) *Gabr. Albaspineus Observ. Eccles. I. c. XIII. p. 37.*
(k) *Christ. Lupus in Scholiis ad Canones Conciliorum Part. 2. p. 867. sqv.*
(l) *Natal. Alexander Dissertat. XVIII. Secul. I.*

rumq; autoritatem Bovio Papistæ, Bovianisq; assectis opponere, cum & hi Constitutiones apocryphas esse, Clementisque nomen mentiri affirment, pagellarum tamen angustia id facere prohibeor.

§. X.

Non tamen silentio prætereundi Duumviri sunt, alter *ITTIGIUS* venerandus est, alter ille celeberrimus olim ex Reformatis *Jo. DALLAEUS* est. Atque hôc quidem nemo prolixius Constitutionum Apostolicarum antiquitatem & autoritatem impugnavit. Videatur Tractatus ejus de Pseudepigraphis Apostolicis. Unde doctissimus Anglus *WILLIAM CAVE* im ersten Christenthum/ cujus libri versio Germanica Lipsiæ apud I. Th. Fritschium 1696. prostat, p. 20. sqv. dicit: Der Constitutionum gantzes Apostolisches Wesen ist von dem gelehrten Daillee auf ewig zerstöhret und zernichtet worden. Illo autem, videlicet Ittigio, nemo nervosius solidiusve adversariorum objectiones removit. Conferatur ipsius Dissertatio de Pseudepigraphis Christi, Mariæ & Apostolorum Cap. XII.

XI.

Neque recedit ab horum sententia Ludovicus Elias du PIN, in Bibliotheca sua Ecclesiastica, quam novem Tomis Paris. 1693. gallicè prodiisse legimus: Tomo statim primo, ubi de Clementis Romani scriptis susius agit.

XII.

Progrederemur ad theologicas rationes, quibus commodè Constitutionum Apostolic. autoritas impugnari ac destrui posset, nisi quæstio hæc historicè tantùm hic pertractanda esset. v. gr. quando hi Διασταγεῖς vocabula *Episcopi & Presbyteri*, tanquam sensu & significatione distincta, seorsim, nunquam verò promiscuè usurpant. (m) it.

(m) *Lib. VIII. c. 46. p. edit. Clericanæ, 422.*

it. *quando* DEUM *Patrem sola voluntate mundi creationem effecisse dicunt, quam Christus jussus est facere,* (n) it. *quod Christus potestatem creandi ac providendi à Patre acceperit, uti Diaconus per se moderetur quæcunque possit, facta ab Episcopo potestate.* (o) Item quando Hæreticis exserte tribuunt, JESUM dicere τὸν ἐπὶ πάντων Θεὸν εὐλογητὸν εἰς τοὺς αἰῶνας. (p) De quo dicto videre est Magnifici Dn. D. CARPZOVII, Evergetæ ac Benefactoris summi Disp. Theolog. de Divinitate Christi. it. Patrem genuisse Filium ante secula βουλήσει καὶ δυνάμει καὶ ἀγαθότητι, vel τῇ εὐδοκίᾳ, (q) *voluntate & potentia & bonitate & beneplacito suo*; item quando non magnificentius de Spiritu S. verba faciunt οἱ διαταγεῖς, dum *eum à Christo doceri* dicunt, (r) nosque in eum *non tanquam in Dominum* DEUM, *sed tantùm velut in testem baptizari* debere affirmant. (s) it. quando *Diaconissam figuram habere Spiritus S. quæ nihil sine Diacono facere debeat*, ajunt. Allegabimus ipsa Constitutionum verba; (t) ὁ δὲ διάκονος τούτῳ παριστάσθω ὡς ὁ Χριστὸς τῷ πατρί, καὶ λειτουργείτω αὐτῷ ἐν πᾶσιν ἀμέμπτως, ὡς ὁ Χριστὸς ἀφ' ἑαυτοῦ ποιῶν οὐδέν, τὰ ἀρεστὰ ποιεῖ τῷ πατρὶ πάντοτε. Ἡ δὲ διάκονος εἰς τύπον τοῦ ἁγίου πνεύματος τετιμήσθω ὑμῖν, μηδὲν ἄνευ τοῦ διακόνου πράττουσα ἢ φθεγγομένη, ὡς οὐδὲ ὁ παράκλητος ἀφ' ἑαυτοῦ τι λαλεῖ, ἢ ποιεῖ, ἀλλὰ δοξάζων τὸν Χριστὸν περιμένει τὸ ἐκείνου θέλημα. it. quando hic impostor DEUM Patrem vocat *Spiritus Dominum*,

Θ τοῦ

(n) *Lib. V. c. VII. p. 307.*
(o) *Lib 2. c. 44.*
(p) *Lib. VI. c. XXVI. p. 355.*
(q) *Lib. VIII. c. XII. p. 399.*
(r) *Lib. III. & c. 17. p. 289.*
(s) *ibid. p. 288.*
(t) *Lib. 2 c. 26. p. 239.*

τοῦ πνεύματος κύριον, (u) & *Spiritus* ποιητὴν, sive *effectorem.* (vv) Quæ tamen omnia Dnn. Theologis castiganda relinquimus.

§. XIII.

Sed nec cætera neq; pauca neq; levia dogmata sub examen hic revocare licet, in quibus palam est, Turriani ac Bovii διαταγὰς ab Apostolorum doctrina graviter dissentire: v. gr. quando mites ac indulgentes διαταγεῖς sese exhibent, ac ancillis, ut cum heris infidelibus, modò solis, consuescere valeant, concedunt: παλλακὴ, τινὸς ἀπίστου δούλη, ἐκείνῳ μόνῳ σχολάζουσα, προσδεχέσθω. Εἰ δὲ καὶ πρὸς ἄλλους ἀσελγαίνει, ἀποβαλλέσθω. *Pellex, infidelis cujusdam ancilla, soli Domino obsequens recipiatur: Si cum aliis intemperans fuerit rejiciatur.* Item quandò iidem novo, nescio quo, spiritu perciti decernunt: τριγαμίαν ἀκρασίας σημεῖον εἶναι, τὸ δὲ ὑπὲρ τὴν τριγαμίαν προφανῆ πορνείαν, καὶ ἀσέλγειαν ἀναμφίβολον, (x) *tertium conjugium intemperantiæ signum esse, quartum verò conjugium & deinceps, manifestam esse scortationem, & indubitatam impudicitiam.* it. quando *Baptismum Hæreticorum* valere inficiantur, (y) ut adeo rebaptizent ab Hæreticis quibusvis tinctos; quoniam id modò baptisma suscipiendum profitentur, quod παρὰ τῶν ἀμέμπτων ἱερέων, ab *inculpatis & irreprehensibilibus* sacerdotibus ministratum sit. it. quando Constitutiones hæ verè ministros Dei esse negant, qui vel ἀγνοίᾳ vel κακονοίᾳ, *ignorantia & improbitate* laborent. (z) it. quando ἔνοχον ἁμαρτίας,

 reum

(u) *Lib. VIII. c. 37. init. p. m. 416.*
(vv) *Lib. VI. c. 2. p. 340.*
(x) *Lib. III. c. 2. p. 275.*
(y) *Lib. VI. c. XV. init. p. m. 344.*
(z) *Lib. VIII. c. 2. p. 389.*

reum peccati pronunciant, qui die Dominico jejunaverit. (aa) it. quando *Baptizando jejunium* præcipiunt: πρὸ δὲ τοῦ βαπτίσματος, νηστευσάτω ὁ βαπτιζόμενος. item: Ὁ δὲ εἰς χριστοῦ θάνατον μυούμενος, πρότερον ὀφείλει νηστεῦσαι, καὶ τότε βαπτίσασθαι. *Jejunet autem ante baptismum is qui baptizatur. it. Qui verò in mortem Christi baptizatur, debet prius jejunare, deinde baptizari.* (bb)

§. XIII.

Ejusdem quoque abollæ est, quando nostri Διαταγεῖς fidelem à Catechumeno tanto spatio disterminant, (cc) ut illum ne domi quidem cum hoc precari fas putent. Hinc ita loquuntur: πιστὸς μετὰ κατηχουμένου μήτε κατ' οἶκον προσευχέσθω· Οὐ γὰρ δίκαιον τὸν μεμυημένον μετὰ τοῦ ἀμυήτου συμμολύνεσθαι· *Fidelis ne domi quidem precetur cum Catechumeno. Non enim justum est, ut initiatus cum non-initiato inquinetur.* it. Quando in iisdem Pseudoapostolicis Constitutionibus oratio Dominica ter quotidie à quibusvis fidelibus recitanda injungitur: (dd) Τρὶς τῆς ἡμέρας οὕτω προσεύχεσθε, *ad hunc modum ter precamini singulis diebus.* En ritum egregium valde:

Numero DEUS *impare gaudet.*

it. oportere eum, qui pastor est & Episcopus in Ecclesiis totius Parœciæ constitutus, *non minorem natu esse, quam annorum quinquaginta:* τὸν ποιμένα τὸν καθιστάμενον ἐπίσκοπον εἰς τὰς Ἐκκλησίας ἐν πάσῃ παροικίᾳ δεῖν ὑπάρχειν οὐκ ἐλάττονα ἐτῶν πεντήκοντα. Ex his rationibus Theologi, quod hæ Constitutiones ab apostolica Veritate & circa dogmata, & circa disciplinam & ritus ecclesiasticos alienissimæ sint,

(aa) *Lib. V. c. XX. extr. p.* 328.
(bb) *Lib. VII. c. XXII. p.* 368. *sqv.*
(cc) *Lib. VIII. c. XXXIV. extr.*
(dd) *Lib. VII. c. XXIV. extr. p. Cler. edit.* 370.

ſint, probare, & argumentis idoneis evincere poſſunt, à quibus tractandis nos, in hiſtoria tantum occupati, hic abſtinemus.

§. XIV.

Miſſis igitur his, quæ ad Theologi conſiderationem ſpectant, ad hiſtorica progrediemur, in quibus fides certa deſideratur. Et quidem quod magna Conſtitutionum harum architecti cœcitas & φρενοβλάβεια, imo & impudentia extiterit, quam in recenſenda Apoſtolorum hiſtoria adhibuit, vel inde liquet: quando non tantùm *STEPHANUM* cum Paulo jam Apoſtolo congregatum præclaras has διατάξεις ſcribentem inducit: (ee) ſed quando hunc ipſum etiam Stephanum, quem tamen condendis Conſtitutionibus præſentem fecerat, mortuum eſſe memorat, antequam hæ conſtitutiones fierent. (ff) Cum tamen ex ſcriptis eccleſiaſticis conſtet, Paulum non niſi poſt Stephani Diaconi necem fuiſſe à Chriſto ad Apoſtolatum vocatum. (gg) Quî ergo Paulus cum Stephano, qui unus ex ſeptem Diaconis fuit, (hh) congregatus eſſe, & Conſtitutiones has ſcribere potuiſſet? Et profecto, quid hoc ſibi vult, aliquem præſentem & loquentem inducere, & tamen eum mortuum narrare?

§. XV.

Cæterum *JACOBUS* etiam, Zebedæi filius, Johannis frater, apud noſtrum διαταγῇ una cum cæteris Apoſtolis congregatus, & totam Concilii Hieroſolymitani, (ii) ſeptem annis poſt mortem ſuam habiti, hi-

(ee) *Lib. VIII. c. IV. p.* 390.
(ff) *Lib. VIII. c.* 46. *p.* 422. it. *Lib. V. c.* 8. *p. m.* 310.
(gg) *Act. VII.* 57. & *c. IX. v.* 12.
(hh) *Lib. VIII. c.* 46. *in fine, p. Cler.* 422. (ii) *Act. XV.*

ſtoriam narrans, introducitur. (kk) Hunc tamen Jacobum ab Herode gladio interfectum eſſe, (ll) certum eſt, antequam Concilium illud Hieroſolymitanum ab Apoſtolis habitum eſſet. Imo quod prodigioſius eſt, Jacobum Collegis, diu poſt illius Concilii tempora Conſtitutiones Apoſtolicas condentibus ac mittentibus, præſentem fatetur noſter Impoſtor. (mm) Nonne igitur inde certiſſimum κακοπλαςίας duci poſſet argumentum? Cum inverecundiſſimo atque imperitiſſimo huic homini mortuos vivis conjungere, præterita futuraque miſcere, mortuos reſuſcitare, tempora turbare, ludus & jocus fuerit.

§. XVI.

Atq; hæc quidem de iis dicta ſunto, quæ Διάταγεῖς in Hiſtoria non uno modo peccarunt. Nunc *ad diſciplinam & ritus* veniamus, in quibus non minor cernitur horum Διαταγέων à veris Chriſti Apoſtolis diverſitas. Quales igitur ritus Apoſtolorum ſunt, quando in Euchariſtia celebranda *veſte ſplendida* indutus Epiſcopus incedere debuit? Quando *Diaconi ex utraq; parte altaris flabella ex tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, aut ex linteo tenere debuerunt, ut parva animalia volitantia abigere potuerint, ne in calices inciderent?* Quas tamen diſciplinas aut ritus Conſtitutiones, Apoſtolicæ vulgò creditæ, utique injunxerunt. Ita enim, *εὐξάμενος*, inquiunt, *καθ' ἑαυτὸν ὁ ἀρχιερεὺς ἅμα τοῖς ἱερεῦσι, καὶ λαμπρὰν ἐσθῆτα μετενδὺς &c. εἰπάτω.* (nn) Certe qui temporum Apoſtolicorum hiſtoriam, & Apoſtolorum ſtudia ac mores ex veris ſcriptis didicerunt, haud facilè credent, vel ex illius Eccleſiæ diſciplina fuiſſe, ut Epiſcopus

(kk) *Lib. VI. c. XII. fin.* (ll) *Act. XII. v. 2.*
(mm) *Lib. VI. c. XIV. init. p. m. 343.* (nn) *Lib. VIII, c. XII. v. 399.*

pus in Veste splendida liturgiam faceret, vel id disertè præcipiendum ac jubendum putasse aut curasse Apostolos. Audi & alterum decretum, Lector Benevole, quod grave in primis & apostolica mente dignum planè est: Δύο δὲ Διάκονοι ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τοῦ θυσιαστηρίου κατεχέτωσαν ἐξ ὑμένων λεπτῶν ῥιπίδιον, ἢ πτερῶν ταώνος, ἢ ὀθόνης, καὶ ἠρέμα ἀποσοβείτωσαν τὰ μικρὰ τῶν ἱπταμένων ζώων, ὅπως ἂν μὴ ἐγχρίμπτωνται εἰς τὰ κύπελλα. Tantum igitur Apostolis e re sua otii fuit, ut istas minutias sibi summè curandas existimaverint? Nemo sane facilè id sibi persuaderi patietur. Præsertim cum inter omnes constet, altarium usum non nisi ab sequioribus seculis originem suam trahere solere.

§. XVII.

Cæterum, quo jure in iisdem Constitutionibus *violatæ legis naturalis vir* damnetur, qui uxorem in adulterio corruptam non dimittit, etiam non video. Ita enim ibi: ὡσαύτως ὁ κατέχων τὴν διαφθαρεῖσαν, φύσεως θεσμοῦ παράνομος, *similiter, qui corruptam retinet, naturæ legem ac institutum violat.* Is quidem jure ejus dimittendæ à lege concesso non utitur, fateor: ut ideò legem naturæ violare rectè dicatur, nulla ratio est. Aliud namque est legem violare, quod facit παράνομος; aliud est, id quod tibi per leges licet non usurpare. Quod quoque boni faciunt sæpius.

§. XVIII.

Ex his itaque patet, Epiphanium præsentes διαταγὰς nequaquam intellexisse, quando Ἀποστόλων διάταξιν *non esse* ἀδόκιμον, *reprobatam*, dicit: (oo) πᾶσα γὰρ ἐν αὐτῇ κανονικὴ τάξις ἐμφέρεται, καὶ οὐδὲν παρακεχαραγμένον τῆς πίστεως, οὐδὲ τῆς ὁμολογίας, οὐδὲ τῆς ἐκκλησιαστικῆς διοικήσεως,

 καὶ

(oo) *Epiphan. Hæresi* LXX. *quæ est Audianorum p.* 350.

ſtoriam narrans, introducitur. (kk) Hunc tamen Jacobum ab Herode gladio interfectum eſſe, (ll) certum eſt, antequam Concilium illud Hieroſolymitanum ab Apoſtolis habitum eſſet. Imo quod prodigioſius eſt, Jacobum Collegis, diu poſt illius Concilii tempora Conſtitutiones Apoſtolicas condentibus ac mittentibus, præſentem fatetur noſter Impoſtor. (mm) Nonne igitur inde certiſſimum κακοπλασίας duci poſſet argumentum? Cum inverecundiſſimo atque imperitiſſimo huic homini mortuos vivis conjungere, præterita futuraque miſcere, mortuos reſuſcitare, tempora turbare, ludus & jocus fuerit.

§. XVI.

Atq; hæc quidem de iis dicta ſunto, quæ Διαταγεῖς in Hiſtoria non uno modo peccarunt. Nunc *ad diſciplinam & ritus* veniamus, in quibus non minor cernitur horum Διαταγέων à veris Chriſti Apoſtolis diverſitas. Quales igitur ritus Apoſtolorum ſunt, quando in Euchariſtia celebranda *veſte ſplendida* indutus Epiſcopus incedere debuit? Quando *Diaconi ex utraq; parte altaris flabella ex tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, aut ex linteo tenere debuerunt, ut parva animalia volitantia abigere potuerint, ne in calices inciderent?* Quas tamen diſciplinas aut ritus Conſtitutiones, Apoſtolicæ vulgò creditæ, utique injunxerunt. Ita enim, εὐξάμενος, inquiunt, καθ' ἑαυτὸν ὁ ἀρχιερεὺς ἅμα τοῖς ἱερεῦσι, καὶ λαμπρὰν ἐσθῆτα μετενδὺς &c. εἰπάτω. (nn) Certe qui temporum Apoſtolicorum hiſtoriam, & Apoſtolorum ſtudia ac mores ex veris ſcriptis didicerunt, haud facilè credent, vel ex illius Eccleſiæ diſciplina fuiſſe, ut Epiſcopus

(kk) *Lib. VI. c. XII. fin.* (ll) *Act. XII. v. 2.*
(mm) *Lib. VI. c. XIV. init. p. m. 343.* (nn) *Lib. VIII. c. XII. v. 399.*

pus in Veste splendida liturgiam faceret, vel id disertè præcipiendum ac jubendum putasse aut curasse Apostolos. Audi & alterum decretum, Lector Benevole, quod grave in primis & apostolica mente dignum planè est: Δύο δὲ διάκονοι ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τοῦ θυσιαστηρίου κατεχέτωσαν ἐξ ὑμένων λεπτῶν ῥιπίδιον, ἢ πτερῶν ταῶνος, ἢ ὀθόνης, καὶ ἠρέμα ἀποσοβείτωσαν τὰ μικρὰ τῶν ἱπταμένων ζώων, ὅπως ἂν μὴ ἐγχρίμπτωνται εἰς τὰ κύπελλα. Tantum igitur Apostolis e re sua otii fuit, ut istas minutias sibi summè curandas existimaverint? Nemo sane facilè id sibi persuaderi patietur. Præsertim cum inter omnes constet, altarium usum non nisi ab sequioribus seculis originem suam trahere solere.

§. XVII.

Cæterum, quo jure in iisdem Constitutionibus *violatæ legis naturalis vir* damnetur, qui uxorem in adulterio corruptam non dimittit, etiam non video. Ita enim ibi: *ὡσαύτως ὁ κατέχων τὴν διαφθαρεῖσαν, φύσεως θεσμοῦ παράνομος, similiter, qui corruptam retinet, naturæ legem ac institutum violat.* Is quidem jure ejus dimittendæ à lege concesso non utitur, fateor: ut ideò legem naturæ violare rectè dicatur, nulla ratio est. Aliud namque est legem violare, quod facit παράνομος; aliud est, id quod tibi per leges licet non usurpare. Quod quoque boni faciunt sæpius.

§. XVIII.

Ex his itaque patet, Epiphanium præsentes διαταγὰς nequaquam intellexisse, quando Ἀποστόλων διατάξειν *non esse ἀδόκιμον, reprobatam*, dicit: (oo) *πᾶσα γὰρ ἐν αὐτῇ κανονικὴ τάξις ἐμφέρεται, καὶ οὐδὲν παρακεχαραγμένον τῆς πίστεως, οὐδὲ τῆς ὁμολογίας, οὐδὲ τῆς ἐκκλησιαστικῆς διοικήσεως,*

(oo) *Epiphan. Hæresi* LXX. *quæ est Audianorum p.* 350.

καὶ κανόνος, καὶ πίστως, quia omnis regularis ordo in ea habetur, & nihil in fide adulteratum, neq; in ecclesiastica gubernatione, & regula, & fide. Contrarium enim hactenus abunde ostendimus. Ut propterea spuriâ & fictitiâ Constitutionum Apostolicarum autoritate nihil sit certius.

§. XIX.

Viderint ergo Constitutionum harum Patroni ac defensores, an Apostolorum sit à Veritatis tramite aberrare, ac mentiri? Rectius nos Christi Apostolos, aut Apostolicos Viros sapientes ac verecundos, veracissimosque cum in omnibus, tum præsertim in divinis esse scimus. Eamque ob rationem iis τῶν διαταγέων opus non sine insigni contumelia tribui posse arbitramur.

Caput IV.

DE CAUSIS, CUR PONTIFICII AUTORITATEM SÆPIUS DICTARUM CONSTITUTIONUM TUEANTUR.

§. I.

NUllum est dubium, quin Pontificii scriptores ob Statisticam rationem, Constitutionum harum antiquitatem venerari, autoritatemque earum tueri soleant. Postquam enim divinas literas stabiliendæ suæ Religioni & Statûs Rationi non sufficere deprehendunt; ad alia confugientes, ab iis auxiliatrices veluti manus petunt. Unde & præsentes Constit. suis hypothesibus inservire maximè arbitrantur.

§. II.

Unde hæ διατάξεις dignitatis & potestatis elogia Episcopi R. quæ typhi fastusque secularis plenissima sunt,

ſunt, continent. Ita namque diſerte de Epiſcopo monent: Ὁ Ἐπίσκοπος ἄρχων καὶ ἡγούμενος ὑμῶν. οὗτος ὑμῶν βασιλεὺς καὶ Δυνάστης· οὗτος ὑμῶν ἐπίγειος Θεὸς μετὰ Θεόν, ὃς ὀφείλει παρ' ὑμῶν τιμῆς ἀπολαύειν. Περὶ γὰρ τούτου καὶ τῶν ὁμοίων αὐτῶν ὁ Θεὸς ἔλεγεν· Ἐγὼ εἶπα, Θεοί ἐστε καὶ υἱοὶ ὑψίστου πάντες. Καὶ Θεοὺς οὐ κακολογήσεις. Ὁ γὰρ ἐπίσκοπος προκαθεζέσθω ὑμῶν, ὡς Θεοῦ ἀξίᾳ τετιμημένος, ᾗ κρατεῖ τοῦ Κλήρου, καὶ τοῦ λαοῦ παντὸς ἄρχει. (pp) Epiſcopus vobis præſideat, ut Princeps & Dux, ut Rex & Dynaſta, ut Dei dignitate cohoneſtatus, qua Clero dominatur, & toti populo imperat! Satin' magnificè? De Epiſcopo iterum alibi: (qq) ἄρχειν σε χρὴ τῶν ὑπηκόων, οὐ μὲν καὶ ὑπ' αὐτῶν ἄρχεσθαι, te oportet ſubjectis imperare, non autem & tibi illos.

§. III.

Attende verò & ad hoc, Lector benevole, effatum: Θεοῦ τύπον ἔχειν ἐν ἀνθρώποις τῶν πάντων ἄρχειν ἀνθρώπων, ἱερέων, βασιλέων, ἀρχόντων, πατέρων, υἱῶν, διδασκάλων, καὶ πάντων ὁμοῦ τῶν ὑπηκόων, Epiſcopum ſcilicet *Dei exemplar apud homines habere*, eò quod omnibus hominibus imperat, ac præeſt, Sacerdotibus, Regibus, magiſtratibus, parentibus, filiis, & cunctis pariter ſubjectis. Heus! obſecro, nonne hæc verba aliquem vel veterum Perſarum, vel hodiernorum Abyſſinorum Regem, vel alti ſupercilii Satrapam potius, quam Chriſtianum Epiſcopum effingere videntur? En quam amicè Pontificii & hi Διαταγεῖς conſpirent!

§. IV.

Non obſcure hanc cauſam prodit *ALANUS COPUS*, quando ſummo Dei beneficio contigiſſe putat, quod *Conſtitutiones Apoſtolicæ, multis ſeculis reconditæ, ad repri-*

(pp) *Lib. II. c.* XXVI. *p. ed. Cler.* 239.
(qq) *Lib. II. c.* XIV *p. m.* 223.

reprimendam Magdeburgensi
in lucem prodierint. Quem
dus Tom. I, Confess. Cath
§
Favent illæ etiam cœliba
to, quando statuunt, *Clericis*
μὴ ἐξεῖναι αὐτοῖς μετὰ χειροτονί
χεῖν. (ff)
§.
Huc pertinet etiam, qu
inquiens, *Traditiones, quæ n*
Apostolis commendatæ sunt, se
tutione ad Ecclesias pervener
Pauli familiaris ac comes, atq
ut taceam, istam Pseudapo
rum autorem, ἔγγραφα & ἄ
sarcinasse; dum plurima h
pertinentia, quæ aut plane
immutata in veris Aposto
tur: hoc duntaxat in med
verum est, Clementem ea
calamo sed ore tantùm pr
set, Verbum aliquod dari
ptum, sed sermone saltem
nes nunc vocant. Per has
traditione orali æque in Eccle
per Constitutiones isthas
runt, antequam à Clemen
tis consignarentur. De qu
logis judicium relinquim
stitutionum Apost. cum objec
in posteriori Dissertatio
(rr) *Gerh. l. c. lib. I. p.* 499. *s*
(tt) *Bovius in Præfat. ad Con*



-burgensium contra Sanctos insolentiam
Quemadmodum istud B. Gerhar-
ss, Catholicæ refert. (rr)

§. V.

n cœlibatui inter Romanenses usita-
t, *Clericis uxorem ducere licitum non esse*
χειροτονίαν ἀγάμοις ὄσιν ἔτι ἐπὶ γάμον ἔρ-

§. VI.

iam, quod Bovius insinuat, (tt) *has,*
ies, quæ nullis literarum monumentis ab
tæ sunt, sed sermone, & non scripta insti-
ervenerunt, collegit in unum Clemens
omes, atq; iis octo libris digessit. Verùm
seudapostolum, Constitutionum ha-
ἔγραφα & ἄγραφα nullo discrimine con-
lurima habet & ad fidem, & ad ritus
aut planè eadem, vel leviter tantùm
s Apostolorum monumentis legun-
t in medium proferre lubet, quod, si
ntem ea collegisse, quæ Apostoli non
ntùm protulerunt; verum etiam es-
uod dari, à Viris θεοπνεύστοις non scri-
e saltem traditum. Id quod *Traditio-*
Per has enim dogmata vitæ ac fidei
in Ecclesia propagari, ac dogmata
es isthas Apostolicas propagata fue-
Clemente illo literarum monumen-
r. De quibus tamen statuendi Theo-
elinquimus. Cæterum *Defensores Con-*
um objectionibus, nostrisq; responsionibus,
Dissertatione exhibebimus. S. D. G.

I. p. 499. *sqv.* (ss) *Lib.* VI. *c.* XVII.
at. ad Constit. Apost. pag. 2.

